

Alte Drucke

**CONFESSIO FI=||DEI CATHOLICAE CHRISTIANA
AV=||thoritate Synodi prouincialis quæ habita est
Petr=||couiæ Anno M. D. LI. Mense Iunio ædita: || ...**

Hosius, Stanislaus

Cracoviae, 1553

SECVNDA NOTA ECCLESIAE, QVOD sit Catholica. Caput. XXII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150329

bus & illustrior. Contra vero hæreticorum dogmata diu-
turnitatem non habuerunt, cum & ea, quæ nunc è tenebris
eruuntur, & sub Euangelij specioso titulo populo vendita-
tur, iam inde è mille & amplius annis confutata, abolita,
antiquata, calcata sint, sicut paulo post clarius indicabi-
mus. Habemus ergo iam Ecclesiæ notam vnā, quam ve-
surpare sibi sathanæ synagoga non potest.

SECUNDA NOTA ECCLESIAE, QVOD sit Catholica. Caput. XXII.



Psalmo. 18. *Marci ultio.* *Romano. 1.* **L**itera nota est eadem in symbolo apostolico
expressa, quod vocatur catholica, hoc est vni-
uersalis: pertinet enim ad vniuersa loca, per-
tinet ad vniuersa tempora, pertinet ad vniuersa hominum
genera, pertinet ad nationes vniuersas. Quod ad omnia lo-
ca pertineat, docet scriptura, quæ dicit. In omnem terram
exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Ac*
postoli enim in mundum vniuersum ire iussi sunt, & præ-
dicare Euangelium omni creaturæ: quod etiam ita fecerunt
Hinc est, quod commendans Romanos Paulus, fides in-
quit vestra annuncietur in vniuerso mundo. Quod perti-
neat ad vniuersa tempora, ex his, quæ superius dicta sunt,
facile perspicui potest, cum demonstratum est, ab Adā cœ-
pisse Ecclesiam, atq; ad nos vsq; peruenisse, ita vt cū ortu,
tum diuturnitate par ipsi mundo sit & æqualis, neq; vt re-
liqui conuentus hominum murorum ambitu quodam cir-
cumscribantur, ac ne regionis quidem alicuius finibus ter-
minetur

minetur, sed ab ortu solis vsq; ad occasum laudabile nomē *Psalm. 111.*
 Domini. Sumpsit igitur initium simul cū orbe condito, du- *Psalm. 47.*
 ratura vsq; ad finem orbis eiusdem. Fundauit enim eā De- *Matth. 28.*
 us in æteruum, qui dixit: Ego vobiscum sum vsq; ad consu-
 mationem seculi. Et alio loco: Amen dico vobis, non præ- *Luce. 21*
 teribit generatio hæc, donec omnia fiant. Quod pertineat
 ad omnia hominum genera, cuiuscumq; status, conditio-
 nis, ætatis, sexus, gentis etiam fuerint, testis est Paulus dicēs *Romano. 10:*
 Non est in ea distinctio Iudæi & Græci: non est in ea circū- *Coloss. 3.*
 cisio & præputium: non Barbarus & Scythæ: non seruus *Galat. 3.*
 & liber, non masculus neq; fœmina, sed omnia in omnibus
 Christus: idem dominus omnium, diues in omnes, qui in-
 uocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen domini *Ioelis. 2.*
 saluus erit. Quod pertineat ad vniuersas nationes, indicat *Apoca. 5.*
 ille locus ex Apocalipsi: Redemisti nos Deus in sanguine
 tuo ex omni tribu, lingua, populo, ac natione, & fecisti nos *Aclu. 10.*
 Deo nostro regnum. Quodq; dicit Petrus: In veritate com-
 peri, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni
 gente qui timet eum, & qui operatur iusticiam, acceptus ē
 illi. Si ergo per omnia loca, per omnia tempora, per omnes
 hominum status, & conditiones, per omnes gentes & nati-
 ones dispersa est & diffusa Ecclesia, vbi sunt, qui triginta his
 ānis nati, cum Donatistis de sua paucitate gloriant? Chris-
 ti regis nostri dignitati ea re detrahentes cum scriptum sit *Prouerbi. 14*
 In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis
 ignominia principis. Habet, & semper habebit integram *Psalm. 2.*
 Christus hereditatem suam, & possessionem suam termi-
 nos terræ: se potius subtrahunt huic magne hereditati, qui

K ij

Christo

Christo illam conantur subtrahere. Non relinquet dominus plebem suam, quæ est sicut arena maris, nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui omnes redemit, Neque enim parua, sed plane copiosa apud eum redemptio. Quantus vero numerus istorum ad magnitudinem precij? Vbi sunt qui tenebras imperitis offundere conantur? dum talem Ecclesiam depingunt, quæ ignoretur, atque aspectum ac sensum omnem effugiat. Cum tamen Ecclesiam adiri, atque ad illam fratris delinquentis nomen deferre Christus iusserit, cum Ecclesie Dei, quæ est Corinthi, Ecclesie Thessalonicensium scribat Paulus, quas utique sub aspectum hominum cadere oportuit, si denunciari frater, si reddi literæ debuerunt. Christus vero tabernaculum suum, hoc est Ecclesiam suam in sole posuisse legitur, ut eam claram, manifestam, & illustrem omnibus faceret. Quia etiam de causa vocat eam ciuitatem in monte positam, quæ non potest abscondi. Posita est autem supra eum montem, de quo & Esaias & Michæas prædixerunt. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & super colles eleuabitur, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Hic est ille mons, quem vidit Rex Nabuchodonosor ex lapide sine manibus exciso creuisse in montem magnum, & orbem vniuersum impleuisse, in quo cõminutis regnis alijs vniuersis, iuxta Danielis interpretationem Deus cœli suscitauit regnum, quod in æternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur. Hunc Danielis locum adducens Bernardus contra sui temporis hæreticos, ita, ne, inquit, lapidem de monte abscissum sine manibus montem factum & imple-

tem

Sermone 66.
in cantica.

Psalmo. 129.

Matth. 18.

Psalmo. 18.

Matthæi. 5.

Esaiæ. 2.

Mich. 4.

Danie. 2.

tem mundum, vestris creditis intrusum antris, De hoc mō
 te nemo se Christianus deturbari patiat, quod si quis di
 xerit homini Christiano, sicut sathanas olim dixit Christo.
 Si filius Dei es, mitte te deorsum, quamlibet multa diuinæ *Matth. 4.*
 legis oracula produxerit, non committat vnquam, vt ei pa
 rere, animum inducat. Si quis dixerit: Ecce hic est Christus *Matth. 24.*
 ecce illic: monet nos ipse Christus, nolite credere. Si dixe
 rint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetrali
 bus: nolite credere: non est caput nisi in corpore suo: non ē
 Christus, nisi in sua sancta catholica Ecclesia. Ecclesia por
 ro catholica ibi est, vbi est fides catholica. Fides autem ca
 tholica ea est, quæ per orbem vniuersum iuxta Christi præ
 ceptum eadem semper annunciat, nec vel tempore, vel
 locis vnq̄ variatur: à qua si quis dissentiat, is catholicus nō
 est, quod singularem quandam opinionem, non vnam cō
 munem omnium fidem amplecti videtur.

QVOMODO DINOSCI POSSIT CA
 tholicus exemplis illustratur. Caput. XXIII.



VONIAM vero sicut Ecclesia, sic fides et
 tiam catholica dicitur, & homo catholicus, q̄
 magis dinoscere catholicum à singulari siue
 schismatico aut hæretico liceat, exemplis id planum face
 re conabimur. Dicit aliquis, absoluta necessitate euenire
 omnia: non esse liberum, sed seruum hominis arbitriū: Nō
 est catholicus. Quid ita? quia doctrinam hanc non recipit
 Ecclesia catholica, cuius primus author cum fuisse videat

K in tur